

MONITA.

Ut reliquis doctrinis, quæ nunc plane cumulateque perfectæ sunt, res quoque pharmaceutica quodammodo adæquari posset, recentiorum Chemicorum investigationibus atque commentis erat illustranda. Hinc eorum theoriæ assentiens, qui corpora ex atomis constare sibi persuasum habent, eorum quoque opiniones in explicandis rerum chemicarum phænomenis penitus secutus sum; quamobrem fundamenta hujusmodi systematicis præmittenda existimavi, quorum præcipua sunt sequentia :

Corpora simplicia, seu elementa, stabili quadam proportione (quoad pondus) sibi invicem junguntur.

Quantitates duorum (vel plurium) elementorum eadem proportione sibi mutuo junguntur, qua cum tertio elemento (pro unitate posito) junctæ fuerunt. *)

Si elementum, quod reliqua corpora simplicia vehementer appetunt, ut oxygenium vel hydrogenium, æquetur unitati, quantitates aliorum elementorum, quæ illi junctæ sint, si numeris exprimantur, audiunt **ÆQUIVALENTES**, quum in componendis corporibus æque posse aut valere existimentur, et alterum alteri substitui possit.

Dum elementum quoddam, non una tantum proportione, sed pluribus, cum aliis elementis jungitur, pro-

*) Cum parte Hydrogenii, pondere sumpta, junguntur et constituunt :

Hydrogenii 1 + 6,12 Carbonei = Hydrogenium carbonatum = H^2C

» » 1 + 8 Oxygenii = Aqua = H^2O

» » 1 + 16,1 Sulphuris = Hydrogenium sulphuratum = H^2S

» » 1 + 35,5 Chlorigeni = Acidum Hydrochloricum = H^2Cl^2

Hinc etiam :

Carbonei 6,12 + 8 Oxygenii = Oxydum Carbonei = CO

Sulphuris 16,1 + 8 Oxygenii = Acidum Hyposulphurosum = SO .

portiones hæ sunt multiplicata ex simplici (id est minima) proportione derivanda. *)

Causa, cur elementa nonnisi certis proportionibus stabilibus (pondere tamen inter se adeo diversis) mutuo jungantur, impulit naturæ scrutatores, quorum primus DALTON fuit, ad statuendam hypothesin: Corpora simplicia constare e minimis particulis, pondere singulari præditis, visu tamen haud conspicuis, nec ultro dividendis, quas ATOMOS appellavere.

Omnia corpora *solida et fluida*, eidem caloris gradui, vel eidem pressioni exposita, *vario modo* dilatantur et contrahuntur; ex quo sequitur, distantiam inter ATOMOS horum esse *variam*; hinc etiam eadem magnitudo cujuslibet corporis solidi aut fluidi, e. g. pollex cubicus ferri, argenti, hydrargyri etc., varium Atomorum numerum continebit. — Corpora autem *gasiformia*, eidem caloris gradui, vel eidem pressioni exposita, *æquo modo* dilatantur, ex quo sequitur, distantiam inter ATOMOS esse *æqualem* in omnibus gasibus; hinc etiam eadem magnitudo cujuslibet gasis, e. g. pollex cubicus hydrogenii, nitrogenii etc. æqualem Atomorum numerum continebit. Ex hoc patet differentia inter *Æquivalentes et ATOMOS*. Juxta hunc explicationis modum Aqua, quæ e duabus mensuris hydrogenii et una mensura oxygenii constat, si *Æquivalentes* adhibeas, erit = 1 *Æq.* H + 1 *Æq.* O; si *ATOMOS*, erit = H²O. In designandis præparatis chemicis ubique formulæ Atomorum sunt adhibitæ.

*) Oxygenii partes	8 + 28,4	Nitrogenii	= Oxydum Nitrogenii	= N ² O
" "	" 16 + 28,4	" "	= Acidum Hyponitrosum	= N ² O ³
" "	" 24 + 28,4	" "	= Acidum Nitrosum	= N ² O ⁵
" "	" 32 + 28,4	" "	= Acidum Hyponitricum	= N ² O ⁴
" "	" 40 + 28,4	" "	= Acidum Nitricum	= N ² O ⁵

Ex adlato exemplo patet, 16, 24, 32, 40, esse multiplicata numeri 8.